

www.e-rara.ch

Propositiones de lithiasi tōn nephron

Ruinelli, Andrea

Basileae Rauracorum, 1582

Kantonsbibliothek Graubünden

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-90460>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Kantonsschulethek

Bn 14.20

Graubünden - Chur

PROPOSITIONES
DELITHIASI
ΤΩΝ ΝΕΦΡΩΝ,

PRO QVIBVS PRAESIDE CLARISS.
Viro D.D. FELICE PLATERO, Indlyte
Basiliensis CIV. Poliatro & S. Medice
facultatis Decurione Amplissimo,

XIII. Cal. Martij,

DEO V. E. T. BENIGNO,
M. ANDR. RVINELLA PRÆ.

gallus Rhetus

Disputabit, hora locoq. solitis.



Οἷοι μέγαρ δὲ τῶν παλῶς ἀνδρίμων.

BASILEAE RAVRACORVM, EX OFFICINA
Brylangeriana, Anno à Christo nato
CIO. IO. XXCII.

ILLVSTRI ET MAGNIFICO

V. D. D. RODOLPHO A' SCHOVENSTEIN

I. F. RHAETII & HOHENTRVNSII DO-

MINO, *Patrono Opt. S. P. D.*



RAECEPTORVM doctissimorum institutis edoctus, ac diuini Aristotelis exemplo confirmatus, nihil rerum naturam disquirentibus ac scientias artesq; captantibus utilius esse semper iudicauit, quàm sæpè multumq; in disceptationib. & doctis publicis priuatisq; collationibus uersari.

Ideo cum eius rei fructum quàm uberrimum capere cuperem, has theseis sub Clarissimo V. D. FELICE PLATERO Basiliensium POLIATRO & Facultatis Medicæ DECANO amplissimo, præceptore in omnem æternitatem colendo, disputandas proposui. Interea cum prælo subijciendæ essent, allatum mihi est nuntium lōgè acceptissimum de tua dignitate, qua DEVS omnium rerum ARBITER & MODERATOR te iam dudum multis ornamentis cumulatam illustriorem reddidit. Quanta inde uoluptate fuerim perfructus, & quàm uerè & ex animo tibi absens gratulatus sim, uerbis satis dignis assequi nequeo. Hoc unū te celare nequeo, me cui potissimum gratulari debeā animo esse dubio. TIBI NE, qui cum Generis Illustri Nobilitate & Naturæ prædicandis dotibus, linguarum, Artium & scientiarum cognitionem, historiarumq; experientiam summo studio coniunxisti, animumq; ita excoluisti, ut prudentiæ & sapientiæ laudem etiā in hac prima iuuentute tibi cōparaueris? An uerò Celebri RHAETIÆ nostræ, quæ cōfœderatum suum, Animi, Generis & Naturæ Nobilitate præstantissimum, in Reipublicæ suprema Gubernatione Collegam nata est prudentissimum, & dignissimum? An tandem Illustri familiæ SCHOVENSTEINIAE, quæ ante aliquot centenos annos (quod annalia clariss. testantur) cum Principibus cognatione & affinitate iuncta in RHAETIA nostra Antiqua cum summo Reip. fructu suprema Reip. gubernacula administravit, & ad hæc usq; tēpora administrare perrexit, & DEO sic ad RHAETIÆ nostræ emolumentum disponente, continuabit? Nam quem dignitatis gradum obtinuerit Mag. Pater tuus (de alijs maioribus Illustribus tuis in aliud commodius tempus scribere differo) D. RODOLPHVS, & apud

Regem Galliarum Christianiss. cum supremo exercitui suo eū pre-
 esse uoluit, & apud nostros Rhætos, qui illum Vulturenæ suæ gu-
 bernationi superiorib. annis præfecerunt, & deniq; apud Illustris.
 & R. Episcopos Curienſeis, qui illum uallis Domestice Præfectū
 confirmarūt, neminem postorum Rhætorum later. Quid de eius,
 qua apud exteros Principes pollet, dicam auctoritate? quid dicā de
 Patruēle tuo D. CASPARO SCHOVENSTEINIO, quē superiori an-
 no VICARIUM Vulturenæ cū uniuersa Rhætia nostra salutauit: &
 nunc Nobilissimū D. VESPASIANVM ex Antiquiss. Saliceorū (ma-
 terna mea familia) oriundū, generum & successorem habuit opta-
 tiss. & dignissimum? Cuius etiam filius D. THOMAS ingenio &
 doctrina pollens nuper in patriā dulcis. magna cum omniū gra-
 tulatione reducem se constituit. Sed ista omnia & alia (de quibus
 alia oblata occasione prolixè.) dignitatis priuilegia superasti, cum
 TE RHAETII. & HOHENTRVNSII DOMINVM inauguratū & cō-
 firmatum audio. sicq; omnibus omnium collectis & collatis suffra-
 gijs & tibi & Rhætiae nostræ, & familiæ Schouensteiniae gratu-
 landū concludo. Gratulor igitur tuæ huic dignitati, ILLUSTRIS
 & MAGNIFICE DOMINE, & ut hæc tua gubernatio DEO gra-
 ta, Patriæ salutaris, ac tibi honorifica accidat, creatorē precor: eūq;
 ut te unā cum SPONSATVA DOMINA ANNA à PLANTIS Matro-
 na Nobilissima (cuius nuptijs & uniuerso Connubio, ut DEVS,
 qua est in omnes suos paterna benignitate, benedicat ex animi fe-
 lici uoto exopto) beneuolentia sua in Nestoreos annos ita cōple-
 ctatur, ut TE semper inter summos Rhætiae Primæ proceres flo-
 rentem, beatū & Illustrem felix uideam, supplex oro. Nobiles iuue-
 nes cognati nostri Augustinus & Ioannes FF. Trauersij, Magni il-
 lius Trauersij Vulturenæ q. Gubernatoris FF. Ioā. Rod. Fabij à Prę-
 positis, & Ioan. Stephanus de Castello Iur. studiosiss. unā cum om-
 nibus nostris Rhætis officia sua tibi deferunt, & auspiciatam tuam
 Reip. administrationem cupiunt. His felix DEO cōmendatus cum
 Sponsa coniuge tua Nobiliss., Magn. D. Parente, fratribus, & affi-
 ne D. Io. Trauersio Domino in Ortenstein, Vale, & Ruinellam tuū
 tuo tuorumq; patrociniū cum multis alijs Rhætiae columnis liben-
 ter utentem cōmendatum, quod hætenus fecisti, habe. Ra-
 ptim ex musæo meo Eid. Febr. Anno Christiano

CID. ID. XXCII.

T. Illustr. D.

Add.

Andr. Ruinella.

THESES DE LITHIASI

ἤν νεφρώ.

I.

Etsi calculi in diuersis corporis regionibus, sicuti *αἰσθησις* ostendit, generari possint, nos tamen non de alijs, quàm de ijs, qui in renibus gignuntur, cum hi frequētius molestant, in presenti disceptatione agemus.

II.

Quibus etiam nonnunquam generalia vocabula *νεφρῶν* *καὶ* *καλculῶν* accommodant: quorum tamen illud alijs quoq; rerū affectibus, hoc diuersorum locorum calculorum *καὶ* *νεφρῶν* quoq; sub se comprehendit.

III.

Calculus autem, de quo agere instituimus, est corpus arenosum in renibus contentum, interdum quietum, aliàs conterendo dolorem, vel obstruendo mictionis impedimenta adferens.

IV.

Nam quotiescunq; renum substantiam atterit, aut meatus distendit & diuellit, mictionem cruentam, doloremq; efficit, obturando quoq; mictionem impedit, qui ferè morbi à calculo tanquam caussa procedunt.

V.

Ad calculi autem generationem ex Galeni sententia 3. de facult. aliment. 17. & 14. meth. 4. & 13. & 16. Præterea 6. Epid. comment. I. text. 6. & eiusd. libri comm. 3. text. 15. tria potissimum requiruntur, Locus in quo generetur, Materia ex qua producatur, & caussa à qua efficiatur.

VI.

Partem affectam seu locum non solam renum cavitatem, sed etiam propriam eorum substantiam cū probatissimis Me-

dicis statuimus.

VII.

Materia autem ex qua calculi sunt, omnium cōsensu substantia quedam est crassa & terrestris in aliquo humore existens, ut Gal. locis citatis & Paul. lib. 3. cap. 45. placet.

IIx.

Quem humorem pleriq; pituitam statuunt, cum in eo talis ferè materia reperiatur, licet & ex utraq; bile & pure diutius in renibus retento, Hipp. lib. 6. de morb. vulgar. & Aetius lib. II. cap. 4. calculos concrefcere posse scribant.

IX.

In sero, quamuis tenue appareat, similem inueniri materiã terrestrem tùm ipsa demonstratio, quòd coctione separari & lapidescere possint, tùm salsedo ipsius declarant: quemadmodũ & in aqua non tantũ marina, Verũ etiam limpidissima terrenam substantiã inesse, styriæ, tophi, coralli, halcionia ex istis nata, satis ostendunt.

X.

Quam in sero calculis materiam præbere, licet nouum quibusdam videri possit, asserere non dubitamus.

XI.

In causa effectrice assignanda varius est Galenus. Nam alicubi ardentem requiri putat calorem renum, ut 3. de alim. facult. cap. 17. (quod etiam Alexander, Paulus & Aetius asserunt) alibi ut 3. aphor. vlt. etiam mitiorem & remissum sufficere posse arbitratur. Utrum ponamus (Nam ab utroq; calculos gigni posse credimus, licet ille celerius, hic tardius materiam compingat.) erit is calor vel natiuus vel ascitiuus.

XII.

Natiuus, ut qui ab ortu seu principijs generationis calidior est.

est. Hinc vitium hoc sæpè hereditarium est: nec, ut quidam putant, ob proprietatem renum, quæ materiam virtute abrita in lapidem convertat, oritur. Equidem si ex proprietate tali renū accideret, celerrimè toti renes lapidescerent.

XIII.

Sufficit renum naturalis densitas seu angustia viarum, per quas attractus succus fertur, segregatusq; ad vesicam urinam mittit. Dein & expultricis imbecillitas, undecunq; ea sit orta, si materia adsit idonea.

XIV.

A frigida intemperie calculi non generantur, quia in viuo animali frigus tantum esse nequit, quod succos in lapides cogere adeò duos possit: quod author lib. de ren. aff. exemplo rerum externarum probat.

XV.

Ascititius calor oritur aliquando à causis internis, nonnunquam ab externis.

XVI.

Discernitur ^{reptis} à colico dolore Gal. lib. 6. de loc. aff. cap. I. teste, quòd in nephritide dolor est fixus, permanens in latere, nonnunquam in vesicam se porrigens, urina tenuis in principio, vel turbida & suppressa: In colico dolore est dolor instabilis, vagus, modò in hanc, modò in illam vrgens partem, altiore renibus interdum loco, vel in vmbilici circuitu ferè seuiens. Demum colicorum dolores multò magis quàm nephriticorum lenientibus mitigantur clysteribus.

XVII.

Quis autem ren affectus sit, ex doloris situ, qui iugiter in alterutro latere fixus est, cognoscitur: ac stabilis dextram partem, si

si ren dexter, sinistram, si sinister fuerit affectus, infestat. Item è directo affectu renis stupor femoris ferè aderit. Nam si dextrũ femur stupor occupauerit, dexter ren, si lauum, sinister malè habebit.

XIIX.

Huc facit, quod Paulus lib. 3. cap. 45. annotauit, dextrum renem, si dexter testiculus, sinistrum, si sinister retractus sit, laborare. Accidit vtrumq; (si Gal. lib. 6. Epidem. & authori libri de ren. aff. dignot. & curat. credimus.) propter vasorum consensum dorso incumbentium, caue scilicet venæ ac magnæ arteriæ, quibus medianibus tum crura, tum testes renibus consentiunt, ut dissectiones testantur.

XIX.

Dolor in nephritide irritatur, ut docet Hipp. lib. 6. de morb. Vulg. eo tempore, quo egri cibo replentur: quod Galen. eodem loco videm testatur.

XX.

Inter initia pituitosi sunt vomitus, præsertim si natura pituitosi fuerint laborantes. At in incremento ob dolores & vigilias (idq; maximè, cum unà febricitarint, & inedia macerati fuerint.) Vomitus biliosus quoq; superuenit, ut Gal. locis iam citatis testatur. A vomitu leuius habet egri: & liberantur ab affectione, cum cibi vacuati fuerint, & arenule ruffæ subsederint. Licet enim ex cibi vacuatione sola calculus non excludatur, aliquando tamen commotus quiescit.

XXI.

Urinæ initio tenues propter obstructionem: in affectu autè inueterato sæpè cruenta minguntur. Nam calculus asper aut angulosus in renibus impulsus, substantiam illorum conterens
vel

vel per meatus egrediens, partes, quas attingit, vulnerat, aut ductum sic dilatat, ut è vena caua quid sanguinis cum urina misti profluat.

XXII.

Aeger in agram decumbens partem, aut cibo vacuus, dolorum leuamen percipit: in contrarium cubans, aut cum sumptus est cibus, ac illabi in intestina incipit, tùm ferè exasperantur dolores.

XXIII.

Sanguinis excretio sæpè renis patefecit calculum, qui antea neq. dolore, neq. ullo alio significabatur indicio, adeò ut ne subesse quidem putaretur.

XXIV.

Quo signo accedente nonnunquam grauatiuo dolore cognoscimus eum in substantia renum adhuc esse. Nam cum vasa urinaria subintrat, vel propellitur, aut descendit, acutos dolores excitat: qui, rursus remeante calculo in renū cauum, mitescūt.

XXV.

Tunc arenule, nunc subrubrae, nunc subflauae, nunc subcinereae, prout calculi materia fuit, vel is recens, aut antiquus est, prodeunt.

XXVI.

Affectus dum recens est, diligenter curari debet: nam si perseveret, aut diuturnus sit, dolores inferendo, & vigilias mouendo, molestissimosq. vomitus prouocando, vires deijcit: quibus deiectis, nulla est spes salutis, attestante Gal. lib. de ren. aff. dignot. & curat.

XXVII.

Nephritidis vitium est satis contumax, ut interdum hominem ad mortem comitetur, Gal. lib. 6. de Sanit. tuen. cap. 7. &

agius curatur, cum corpora affecta sunt gracilia, Galeodem loco cap. II.

XXII.

Facilius gignitur in pinguioribus, quia materia, ex qua calculus generari solet, magis potest detineri: à gracilibus propellitur ut plurimum in vesicam.

XXIX.

Pueri magis opportuni sunt vesicæ calculus: senes autem & adultiores renum, quia in pueris cum calor sit validus, expultrix vis robusta, & renum substantia mollis & laxa, propellitur facilius ad vesicam: in senibus expultrix est debilis, & renum caro sicciior & compactior, quibus fit, ut diutius detineantur, magisq; indurentur, ut Hippocr. lib. 6. de morb. vulg. comm. 3. text. 15. & Aetius locis citatis docent.

XXX.

Eodem pacto mulieres ob menstruas purgationes, viarumq; laxitatem, renum calculus rarius laborant.

XXXI.

Arthritici facile fiunt nephritici, quia crassus & terrestribus per assiduas cruditates collectis abundat. Adiuuat calculorum in his prouentum longus in dorsum & renes decubitus.

XXXII.

Arenule deiecte ostendunt lapidem friabilem & sabulosum adhuc esse, turnq; aliqua est spes eum frangi posse & curari: si verò nil deijciatur tale, durum admodum esse (ut in morbo inueterato solet) significat, adeoq; non magna est spes salutis.

XXXIII.

Calculi, qui rotundi aut leues sunt, facilius asperis & angulosis excernuntur, minusq; illis egri cruciantur.

Quicumq;

XXXIV.

Quicumq; nephritici sunt, non sanantur post quadraginta annos. Nephritici & qui circa vesicam sunt dolores, laboriosè sanantur in senibus, imò his passionibus commoriuntur. Hipp. lib. 6. aph. 6.

XXXV.

Quibusq; in urinis ampullæ seu bullæ supernatant, nephriticam & longam egritudinem fore significant, lib. 7. aphor. 34.

XXXVI.

Curatio certa methodo instituenda est, diæta, cheirurgia & pharmacia.

XXXVII.

Diæta consistit in sex rerum non naturalium recta administratione.

XXXIIX.

Aër igitur non sit crassus, non turbidus, non pluuiosus, sed purus ac temperatus.

XXXIX.

Cibus sit boni succi, facilis coctionis, & minimè crassus aut lentus, aut salsus. Potus sit vinum tenue, album: aquas stagnales & valde frigidas vitet. Hipp. lib. 6. de morb. vulg. comm. 3. text. 15. Aetius lib. II. cap. 6.

XL.

Otium vitandum: deambulationes, exercitiaq; mediocria conueniunt, quæ pro ætatis, habitus, roborisq; ægotantis ratione corpus exercere valeant. Hipp. lib. 6. de morb. vulg. comm. I.

XLI.

Somnus, quoad fieri potest, conciliandus parum consueto longior, propter coctionem, ut vitentur cruditates.

XLII.

Animi affectus sint moderati: Ira tamen à quibusdam conceditur.

XLIII.

Aluus sit lubrica & quotidie respondens, & Vbi defecerit, arte promouenda.

XLIV.

Rebus naturalibus sic constitutis, ad euacuationem accedendum: quæ Venæ sectione absoluetur, nisi quid sit, quod impediatur. & hoc ne phlegmone ob dolorem exciteretur, aut iam facta augeatur. Hipp. lib. 6. de morb. vulgar. comm. I. sext. 5. Aetius libro II. cap. 5.

XLV.

Alij Venam cubiti secant, Vt Aetius loco citato: alij poplitis aut malleolorum potius incidunt, ut Hipp. lib. 6. de morb. vulg.

XLVI.

Has diuersas sententias conciliat Gal. lib. de ren. aff. dignot. & curat. cum dicit, validis viribus Venâ poplitis vel malleolorum, imbecilibus, Venam cubiti aperiendas esse.

XLVII.

Nos in phlegmone incipiente & fiente cubiti Venam, in facta autem poplitis potius, cum Gal. lib. de curand. rat. per phlebotom. cap. 18. secabimus.

XLIIII.

Si Venæ sectio propter vires languidas impediatur, tunc eius loco cucurbitula scarificata inferioribus partibus admouenda.

XLIX.

Adhibentur nonnunquam educendi lapidis in renibus impacti causa, sed citra scarificationem: primum supra renem, ut fiat aliqua agitatio, deinde magis magisque descendendo, sequen-

tes ductum vasorum Urinariorum. Sic enim lapides in Vesicā
sæpè excreti, aut saltem suis locis moti fuerunt: ut habetur lib. de
ren. aff. dignotione & curat. & apud Aetium sæpè citatis locis.
Quod antequam fiat, fouenda est pars emollientib., corpore prius
benè purgato.

L.

Pharmaca seu medicamenta alia ad totum corpus referun-
tur, alia ad calculum respiciunt.

L I.

Ad totum respiciunt lenientia, preparantia & purgantia.

L II.

Lenientia, nisi quid obstat, conducunt vomitoria, lib. de di-
gnot. & curat. ren. aff. & 6. de morb. vulgar. Item clysteres ex
moderate laxantibus, & pinguibus, ut partes simul laxentur, quò
calculus facilius descendat, Aetius lib. II. cap. 5.

L III.

Preparantia sunt varia pro scopi & materiae varietate, ut
syr. de duabus, de quinq; radic., de bizant., acetos. simpl. cum a-
quis saxifr. beton. &c.

L IIII.

Euacuantia vel per secessum, vel per sudorē fiant: per diu-
retica nullo pacto. Nunquam enim totum per partem affectam
est vacuandum: quando vacuari per aliam regionem potest.

L V.

Ad calculum requiruntur, eum frangentia vel tenuitate sua,
vel proprietate occulta: & vim medicamenti ad renes deducen-
tia: Quibus ea quæ flatus discutiunt non inutiliter permiscemus.

L VI.

Frangentia sunt, quæ secare & abstergere possunt, ut fere
sunt amara omnia, Gal. lib. IO. de compos. medic. lib. 10. cap. I.

Valde tamen valida neutiquam danda aut continuanda sunt,
Gal.lib. 6. de sanit. tuen. cap. II. iubente, ne fortè calidam renum
intemperiem augeamus.

LVII.

Extenuantibus (maximè in obesīs, qui Venas angustiores
habent.) & incidentibus citra magnum calorem utemur, ut do-
cet Gal. lib. 5. de simpl. med. fac. cap. 12.

LIX.

Quinetiam tepida aqua ante pastum offerri cōmodè potest.
Hac enim renes excrementis vacuos reddit, eorumq; intempe-
riem corrigit.

LIX.

Si frigida Ventriculi, aut calida iecoris intemperies adsint,
vel aliud aliquod *συνέκτιστορ*, contrarie sunt inducenda intempe-
ries, & alia, quæ morbum fouent, prius diligenter & cautè a-
mouenda.

προφυλακτικῇ.

LX.

προφυλακτικῇ in quatuor maximè consistet. Nam in genere nō
naturalium rerum recta instituta administratione, omnia quæ
calculi materiam, aut renum calorem augere possunt, studiosè
vitabimus, velut sunt alimenta crassa, salsa, calida.

LXI.

Genitos humores crassos ad intestina purgantibus deduce-
mus, ne fortè ad renes ferantur.

LXII.

Si ijdem fortè in renibus hareant, diureticis eosdem expelle-
mus, ne progressu temporis in ijs lapidescant. Vbi adfuerit san-
guinis copia, ea per repetitam venæ sectionem vacuanda.

Renum

LXIII.

Renum calorem ad motis topicis refrigerabimus medicamentis
adstrictionis expertibus, ne materia in vijs adstrictis retineatur.
Et moderate frigidis, ne nimia renum refrigeratione vasa red-
dantur angustiora, Et gignendi impotentia (quod
interdum fit) consequatur.

FINIS.



DEATH
POSITIONES
DEATH
DEATH

